

Q. N. 398, 37.

Xa
1228

DISSERTATIO HISTORICA
DE
METALLIFODINARVM
HARTZICARVM
PRIMA ORIGINE ET PROGRESSV
ET QVOMODO
AD SERENISS. BRVNSVIC. ET LYNÆB,
DVCEs A. CIO CC XXXV. PERVENERINT.

QVAM
PRÆSIDE X 2002792

VIRO CLARISSIMO
DN. HENRICO MEIBOMIO
Medic. Doct. ejusq; & Historiarum Poëseosq; Prof.
Publ. Ordinario celeberrimo, nec non Archi-
atro Guelphico longe felicissimo


Domino & Fautore suo plurimum colendo
Publice ventilandam sistit

Auctor

HENRICVS HARDOVICVS Knorn

Ad Diem 6. Martii

ANNO CIO IDC LXXX.



HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI, Acad. Typ.



CZSZERTAVO HISTORIA
DE

METALLIFODINARVM
HARTZIOARVM

PRIMA ORIGINE ET PROGRESSU
ET QUOMODO
AD SERIESS. BRVNSVIC. ET LINGEB.
DACES A. 610 CCXXX. PERVENERINT.

Q V A M
P R A E S I D E

NIRO CLARISSIMO
DNI HENRICO MEIBOMIO

Medic. Doct. quondam & Hilfforarium Locogord. Præs.
Pabl. Ordinario celeberrimo, nec non Archi-
atro Guelphico longe felißimo

Domino & Patrono tuo præstantissimo colendo

Publice commendatum fuit

Auct. v.

HENRICVS HARTDOVICVS


in Dien d. Martii

ANNO MDCCXXX.

(0) 22

HELMEST. 4. 11.

Typis Henrici Davidi Mülleri, Acad. Typ.



REVERENDISSIMO ET
SERENISSIMO PRIN-
CIPi AC DOMINO

DN. ERNESTO
AVGVSTO

EPISCOPO OSNABRVGENSI, DVCI
BRVNSVICENSIVM AC LYNÆ-
BVRGENSIVM

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

Suscepti Regiminis novi initium
felicissimum precatur

& simul pagellas has
humillime offert

Henr. Hardov. Knorr.

*Reverendissime ac Serenissime
Princeps
Domine Clementissime.*



Um omnes florentisfi-
morum Ducatum ,
Calenbergici, Gruben-
hagici ac Gottingensis
incolæ, inter luctus & gaudia divisi,
dolorem ex optimi Principis ac Do-
mini sui clementissimi præmature o-
bitu nuper exortum Serenissimi Suc-
cesso-

cessoris intuitu temperant, lacrymas-
que enatas abstergunt, & sibi gratula-
ri incipiunt: non fecus ac post ingra-
tas noctis tenebras oborto iterum So-
li applaudimus. Liceat mihi quoque,
Reverendissime & Serenissime Prin-
ceps, quamvis in Academia adhuc vi-
vētī, ad aras Vestras debita thura fer-
re, & devoto pectore adorare. Perve-
nit enim felicitatis novæ sensus ad me
quoque, qui in *Serenitatis V.^{rae}* Du-
catu Grubenhagico, eo parente iisq;
majoribus natus sum, qui in Serenis-
simorum Antecessorum Vestrorum
ministeriis inter obsequia devotissi-
ma consenuerunt. Cumque inter Im-
perii

perii exordia soleant antiquo & pas-
sim recepto more munera Principi-
bus novis offerri; non ingratum forte
erit aut inauspicatum, quod ex ditissi-
ma *Serenitatis V.^{rae}* Provincia primus
pretiosissimis ex metallis munus, illa-
rum scilicet Fodinarū à me conscri-
ptam historiam, submisse offeram,
quæ nunquam exhaustos thesauros
in splendorem & augmentum Duca-
lis potentiae quotidie conferunt. Me-
quidem & Natale solum, & cupido
inserviendi Patriæ incitavit, ut, cum
alias in minima maxima rerum Har-
zicarum, tum in ipsa Academia, in o-
riginem metallifodinarum, & prima
Sere-

Serenissimæ domus in eas jura inquirere: ut autem, quæ Academia valedicturus de illis consignavi, *Reverendissimæ Serenitati V.^{rae}* consecrare auderem, ipsa temporis hujus occasio, & renascens per Serenitatem *V.^{ram}* Ducatus quoque Grubenhagici felicitas fecit, quum nunquã tempestivius quid offeratur, nunquam Augustæ mentes blandius, quàm inter suorum Imperiorum auspicia, accipere gratulantium & devotissimi obsequii voces soleant. Dum igitur vota unanimi quidem consensu omnes, sua tamen quisque, faciunt, ego ex Hartzicis terris humillimus subdi-

tus

tus id unicè voveo, ut in reliqua & di-
utina Imperij felicitate, METALLICÆ
imprimis VENÆ inexhausta ubertate
sua Serenitati V.^{rae} semper ita respon-
deant, ut supremum Numen eam u-
biq; comitari, & in ipsis terræ caver-
nis amplissimis thesauris beare, o-
mnes manifesto intelligant, & læter-
tur. Ego certe nunquam non DEVM
T.O.M. eo nomine invocabo & ero

*REVERENDISSIME AC SERE-
NISSIME PRINCEPS,*

*REVERENDISS. SERENI-
TATIS VESTRÆ*

Humillimus Servus

H. H. Knorr.



s. I.



Ornelius Tacitus in descriptione Germaniæ, quando cap. 5. de ejus argenti & aurifodinis loquitur, cautè, ceu prudentem Virum decet, sententiam suam promit, & in dubio reni relinquit his verbis: *Nec enim affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere, quis enim scrutatus est? Scrutati autem posterius sunt, quamvis longo post intervallo, eo successu, ut provocare hodie Germania, ditissimis suis venis, quæ cultores suos plurimum beent, impensasque & ingratum laborem ubertate pretij demulceant, alias passim regiones possit.*

II. Non lubet tamen nunc in omnium Germaniæ Metallifodinarum origines inquire, sed in eas tantum, quæ in Saxonia, & quidem hac nostra patria ad & in montibus illis,

A

qui

qui *Hartz* nomine veniunt, hodieque extant,
& Serf. morum Dominorum nostrorum, Ducum
Brunsvicensium & Lyneburgensium, à quatuor
& quod excurrit, jam propriae sunt seculis, illis-
que uberes proventus singulari clementia divi-
na reddunt, inexhausta semper foecunditate,
ut non immerito de illis dicere possis, quod
Posidonius apud *Strabonem* de Hispaniae Metal-
li fodinis, lib. 3. p. 101. hic esse thesauros peren-
nis naturae, aut Principatus perpetui ararium:
non divitem modo terram esse, sed & infra se
opes habere conditas, & revera infra terram
non *Aden*, sed *Plutum* habitare.

III. Locus natalis ut pluribus describatur,
cum omnibus notissimus sit, non videtur ope-
rae esse pretium, de nomine tamen, ne confusio
oboriatur, paucis aliquid monebimus. Solent
qui latinè loqui volunt, montes, qui vulgo
Hartz dicuntur, *Hercynios* vocare, nomine a-
pud Græcos & Latinos, ab ipso usque Aristote-
lis ævo, non ignoto. Verùm quamvis non ne-
gandum, vocabulum *Harcynia*, *Orcynia*, *Her-
cynia*, ab ipsa Germanica voce *Hartz* descen-
dere, quod vult *Cluverius* l. 3. Germ. Antiq. c.

47. non autem à duritie incolarum, quæ allusio tantum est Poëtica, quia durius omne, quod illud *Educat*, est aliis, ut loquitur *Henricus Rosla* in *Herlingsberga*. Tamen verum est, quod idem *Cluverus* præclare ostendit, istum tractum, qui hodie apud nos nomen retinet, non nisi veteris *Hercyniæ Iugi* particulam aliquam esse, *tylvam* que *Bacennæ* *Cæsari* memoratam, *Ptolomæique* montem *μηλίβορον* ad hæc loca pertinere: quamvis nec id negari possit, non determinatos adeo illius *sylvæ*, quæ *Hartz* hodie vocatur, fines esse, quam *viginti & sex millibus* *perrectam* modo citatus *Rosla*, qui ante quadringentos annos circiter vixit, in carmine suo scribit. Vide ejus primum editorem *Dn. Joh. Henricum Meibomium*, *Cl. Dn. Præsidis Patrem*, in notis ad illum p. 39.

IV. Quid obstat autem, cur non retenta ipsa voce *Hartz* / distinctius loca illa ita nominemus? ceu à mediæ ævi *Scriptoribus*, & ab *Historicis nostratibus* latine scribentibus factum est, & in *diplomatibus*, latino sermone, more ævi, conceptis, videre licet. Ita enim in *Diplomate Friderici I. Imperatoris*, *Henrico*

Leoni A. 1157. dato, memoratur *Forestum in montanis, quæ dicuntur Hartz*. Et *Helmoldus Buzoviensis*, qui seculo XII. floruit, adjectivum inde formavit, l. I. c. 26, cum scribit, *Holsatos in montes HARTICOS migrasse*, & cap. 27. ab *Henrico IV. Imp. in HARTICO clivo Hartesburgum castrum firmissimum edificatum*, quem alij sequuntur. Ubi & illud notare licet, olim interdum quidem additam fuisse literam Z. ut *Hartz* pronunciarent, plerumque tamen *Hartz* tantum. Unde in tabulis divisionis inter *Henrici Leonis* liberos: *usque ad montem, qui dicitur Hart, & totus mons Hart suus est*. Hinc formatio nominis *Pagi Hartingowe, Hardgo*, qui in veteribus tabulis & monumentis sæpius memoratus locorum montibus illis vicinorum districtus quidam est. Hinc ipsa illa *Henrici IV. temporibus & hodieque ruderibus suis notissima, arx Hartesburg* dicta est, quæ ab Auctore belli illius *Saxonici*, græco latina voce *Arcipolis* vocatur, satis ineptè, si præsertim exteris non fuit; sed *Præpositus Goslariensis Rupertus*, uti existimat editor *Goldastus*. Quin imo adhuc hodie *accolis Sylvæ hujus, rusticis præcipue nostrati-*

stratibus, veterum vocum & pronunciationis retinentissimis, magis vox *Hart* quàm *Hartz* in usu manet. Et quamvis ipsi in mediis sylvis degentes metallarii (utpote hodie omnes Franconica dialecto utentes) addito *z* *Hartz* pronuncient, cùm tamen dicti illi indigenæ non sint, sed ex Misnicis Franconicisve advenis progeniti, qui proinde hodieque singularem & à nostra Saxonica, seu Brunsvicensi lingua plane distinctam sibi servant dialectum, facile hinc apparet accolarum magis, quàm ipsorum metallariorum pronunciationem attendendam esse in primævam appellationem inquirentibus. Hinc quidam Scriptores *Harthonem* montem vocant, inserta aspiratione, unde suum adjectivum *Harthicus* formavit *Abbas Stagensis* ad A. 1071. Quæ idcirco pluribus exponere volui, ut vitio non vertatur mihi, quod de *Harzicarum* Metallifodinarum ortu dicere, in fronte dissertationis hujus promiserim. *Harthicos* enim vel *Hartzicos* montes propter dictas causas semper dein appellabo.

V. Metallifodinæ vero illæ ad & in montibus Harticis sitæ ita distinguuntur, ut Goslari-

enses Rammesbergicæ vocentur *inferiores Hartzica* (*Unter-hartzische Bergwercke*) reliquæ verò, quæ in iplo monte sunt, *Superiores*, (*Ober-hartzische Bergwercke*.)

VI. In inquirenda autem origine Metallifodinarum nostratum prima, necesse est ab *Hartzicis Inferioribus* seu *Goslariensibus* incipiamus: de quibus etiam solis hac dissertatione nobis sermo erit, de reliquis alias acturis. Harum quippe longe antiquior extat memoria, quamvis in *Topograph. Brunsvic* p. 68. memoretur, ex *Chronico Goslariensi MS. Sto*, Metallifodinas Hartzicas Superiores jam tum An. 950. esse inventas, ideoque viginti fere ante Rammelsbergicas annis. Chronicon enim illud sibi hoc credi non vult, sed *Lamberto Schafnaburgensi*, qui tamen, vel ad illum annum, vel alibi, nihil hac de re habet. Ipsarum tamen Inferiorum, seu Rammelsbergensium memoria seculum x. non excedit. Illo enim primùm apud Saxones nostros cœpisse innotescere, certissimum est, quamvis de ipso anno inventionis res non sit adeò liquida, idque inde fieri arbitror, quod fortassis uno tempore ex parte detectæ

tectæ non responderint votis, ideoque neglectæ proximis demum annis excultæ magis sint, manente tamen ex priori & posteriori tempore eorum memoria. Quod enim de venis argenti in agro Mattiaco, cum eas quæreret ex Romanis Curtius Rufus, ope Legionum suarum, scribit *Tacitus Annal. 10. c. 20. tenuis inde fructus, nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor, excodere rivos, quæq; in aperto gravia, humum infra moliri*: id sine dubio in Saxonis quoque nostris evenit, non respondente statim operæ pretio, hinc neglectis & mox iterum reassumtis.

VII. Adducemus autem ipsa prius Historicorum verba, & deinde ea examinabimus. Primus & luculentissimus testis, *σύγχερον* quippe, prodeat *Witichindus*, Monachus Corbeiensis. Utinam autem ille eam, quam habuit hæc de re notitiam, nobiscum communicasset! Ubi enim lib. 3. memorat Ottonis I. seu Magni opera, quæ præterire & non explicare vult, inter illa refert quoque p. 32. quod Imperator in *terra Saxonica venas argenti aperuerit.*

IIIX. Non

IIX. Non ita diu post Ottonem hunc, Anno nimirum 1017. historiam suam scribere aggressus est *Ditmarus*, qui *Mersburgensis* vulgo dicitur, quoniam ad Episcopatum illum in Misnia tandem pervenit, cum antea Magdeburgi Monachus, & altero ab hinc milliari Walbecensis Præpositus fuisset. Ita autem ille lib. 11. *Temporibus suis* (Ottonis I.) aureum illuxit seculum, apud nos inventa primum argenti vena.

I. X. Integro penè seculo post, *Sigebertus Gemblacensis* in Brabantia Monachus, in Chronico suo ad Annum 968. ita scribit: *Otto Imperator in terra Saxonica venas auri & argenti industria sua aperuit.* Cui coævus *Godefridus Viterbiensis* *Conradi II. & Friderici I. Capellanus & Notarius* Chronici sui parte 17. ubi de *Ottone I.* Ipse, inquit, *primus in Goslaria Saxonica argentifodinas invenit.* Et regnante ipso illo *Friderico I. Otto Frisingensis* Episcopus Chronici sui lib. 6. c. 24. scribit: *Hic est Otto, qui post multas, quas novi, victorias, Græcos quoque in Apulia & Calabria superavit, ac Imperium Romanum virtute sua ad Francos Orientales*

tales reduxit, primusque venas argenti & aris
juxta Civitatem Goslariam in Saxonia invenit.

X. Seculo XIII. floruit *Conradus à Lichte-
nau Abbas Vrspergensis*, qui etiam quidem hu-
jus inventionis meminit, sed prætereundo po-
tiùs, quàm narrando, ipsissimis Witichindi, quem
exscribit, verbis.

XI. Seculo XV. *Theodorus Engelhusius*
Chronicon scripsit, collectum ex variis aliis an-
tiquioribus, bonis aliquando, interdum verò pe-
joris notæ. Is non parum hic turbat. Ad tem-
pora enim *Henrici Aucupis*, fide Chronici cu-
jusdam *Amelunxbornensis*, refert historiam seu
fabellam de paupere quodam, nomine *Sun-
delkarl* / natione Franco, qui cum Regem ve-
nantem in loco, qui nunc Goslar vocatur, exce-
pisset sæpius, præmii loco dari sibi montem
contiguum, qui *Ramesberg* nunc dicitur, petie-
rit, quo impetrato, plures gentis suæ viros soci-
os secum sumens, locum ædificare cœperit ve-
nasq; metallorum, cupri, plumbi & argenti repe-
rerit, ditatus ultra modum. Cum autem hæc
pag. 176 scripsisset, deinde pag. 179. ubi ad Otto-
nis tempora pervenit, ita loquitur: *Otto item*

B

reperit

reperit venas auri & argenti Goslaria, unde
duas Ecclesias collegiatas & nobile palatium Im-
periale fundavit ibidem. In immensum verò
per talem aurifodinam ditatus, tam Romæ, quàm
alibi, Ecclesias cum Cœnobiis construxit. Eodem
seculo Monachus Nussiensis, qui Magnum
Chronicon Belgicum compilavit, à Pistorio edi-
tum, meminit inventionis Auri & Argentifodi-
narum ab Ottone factarum ad Imperatoris illi-
us annum 29, sed Sigeberti, supra th. ix. memo-
rati, auctoritate tantum nititur.

XII. Quibus præmissis conferamus non-
nihil hos testes inter se, & secum committa-
mus, & quantum fieri potest, conciliemus. Pri-
mò autem non sunt omnes unius ævi, ideoque
illi ab Ottonis ævo remotiores minorem in his
merentur fidem, & sic omnium minimam En-
gelhusius, nisi forte antiquiorum certis aucto-
ritatibus nitatur.

XIII. Secundo loco notandum est, non
omnes in his Saxonix locis vixisse, ideoque in
re, quæ hic contigerit, præ Gemblacensi & Fri-
singenfi & Viterbiensi audiri debere nostrates,
Witi-

Witichindum, Ditmarum, & haecenus quoque Engelhusium, Eimbeccensem videlicet.

XIV. Tertio loco patet, non convenire hos Scriptores in determinandis venis, quales fuerint. Witichindus enim & Viterbiensis *argenti* tantum nominant, cum quo consentit Ditmarus, quamvis *aurei seculi* simul meminerit. Sigebertus verò *aurei & argenti*, Otto Frisingensis, omisso auro, *argenti & aris*, Engelhusius denique sub Henrico *cupri, plumbi, & argenti*, sub Ottone, *aurei & argenti* venas repertas scribunt.

XV. Quarto quoad locum, de Saxonia Witichindus, Sigebertus, Otto Frisingensis, consentiunt: ultimus verò ille & Engelhusius *Goslariam* determinant, qui tamen ante sub Henrico *montem* etiam *Ramelbergicum*, ceu locum inventionis, nominaverat. Ditmari verba possent alicui dubium parere, dum scribit: *apud Nos inventa esse.* Meminit certè *Albinus* t. 2. *Der Weisnischen Berg-Chroniken* p. 7. fuisse, qui hæc verba de Misnensibus *argenti fodinis* interpretarentur, cum in Misnia Ditmarus suum opus scripserit, id quod tamen *Albinus*

nus suo loco & aliis defendendum relinquit. Verum, quamvis ille Chronicon suum anno demum 1017. scripserit (ut testatur *Auctor vitæ* ejus) anno autem 1009. Neoburgi in Bavaria ad Episcopatum Misnensem pervenerit, ideoque sine dubio factus jam Episcopus, & in Misnia librum hunc scripserit, tamen, cum ex illustri Comitum Walbeccensium domo fuerit, uti Viri Clarissimi dudum monstrarunt, per Nos, non alios, quam Saxones, intelligit, quippe quem etiam *verum Saxoniam indigenam* appellat, modo memoratus Vitæ ejus Auctor.

XVI. Quinto quoad tempus, in Ottone M. reliqui conveniunt, solus dissentit recentior Engelhusius, primam ad Henrici Aucupis tempora inventionem referens. Neque tamen illud Amelunxbornense ignotum hætenus, & nescio cuius, Chronicon, ex quo ea excerpfit Engelhusius, silentibus omnibus coævis, magnam fidem meretur. Rectius Chronicon Saxonicum vernaculum, cum Henrico Aucupi adscripsisset primam fundationem Goslariæ (de qua deinde) mox de filio ejus Ottone addit: *De vant de ertze in dem Rammesbarghe.*

XVII.

XVII. Quod si tamen, quæ de quodam
Sünther Karl dicto *Thomas Schreiber*
im Historischen Bericht von Auffkunfft
und Anfange der Hartzischen Bergwer-
cke p. 38. ad tempora Henrici II. Imperatoris
refert, fide dignis probari possent monumen-
tis, facile posset detegi non tam Chronici Ame-
lungsbornensis quàm Engelhusij ipsius error.
Asserit enim *Screiberus*, sublatis fame pesteque
fossoribus per integrum decennium fodinarum
metallicarum culturam cessasse, usque ad an-
num nimirum 1016. quo tempore primi Inven-
toris consanguineus, **Sünther Karl** dictus,
Henrici II. Imperatoris Minister aulicus, impe-
tratâ ab Imperatore licentia, venas denuo ape-
ruerit, & felici successu earum culturam reaf-
sumserit. Et hanc sive historiam, sive fabel-
lam, videtur etiam voluisse narrare Chronicon
Amelunxbornense; quod, cùm *Henrici Impe-*
ratoris sine ullo additamento meminisset, *En-*
gelhusius dein errore ad *Henricum Aucupem*
seu I. retulit, quæ ad *Henricum II.* debue-
rat. Verùm non opus est, ut his conciliandis
diu immoremur. In talibus enim compilato-

ribus, qualis Engelhusius, ut ut interdum bona quædam occurrant, multa tamen mala mixta sunt, cumque ex diversis collecta, sæpe nec inter se satis, nec cum veritate convenientia scribunt.

XIIX. Qui tamen in prima Metallifodinarum inventione ad Ottonis tempora referenda conveniunt, illorum antiquiores nonnulli annum non determinant, solus *Gemblacensis* in Brabantia annum 968. nominat. Recentiores verò Historici, *Munsterus*, *Buntingius*, ad annum 972. inventionem referunt, à quo non dissentit Cl. Domini Præsidis Avus celeberrimus, *Dn. Henricus Meibomius* in Historia Bardevici, p. 148. quamvis locum illum Sigeberti viderit, ut ex notis ad Widichindum apparet: quibus tamen Auctoribus præeuntibus illi id tempus determinant, non satis scio.

XIX. Ex *Engelhusio* colligi posset, non sub finem Imperij Ottonis, sed diu ante reperi-
tas esse has venas, si verum, ut scribit, quod *Otto ditatus in immensum per talem aurifodina-
nam Ecclesias cum cœnobiis construxerit*. Mortuus enim est Otto A 974. quo nondum potuis-
set

set in immensum esse ditatus, si anno demum
972. fuissent repertæ. Qua de causa nonnullis
placet Annus Sigeberti 968. Sed profecto hic
eadem difficultas urget, Notum enim satis
est, venas primum repertas plures sumtus re-
quirere, reditus autem parcos esse, ideoque nec
intra quinquennij spacium immensas divitias
inde haberi potuisse, ceu rectè animadvertit ta-
lium peritissimus *Screiberus* p. 26. probandus-
que tum magis esset annus 961. quo Ottonem
venas auri & argenti invenisse Goslariæ, habe-
tur in *Compilatione Chronologica*, edita à Made-
ro, quæ tamen incerti auctoris, nec magnæ au-
toritatis est. Arbitror autem omninò, boni
M. Engelhusii suave somnium esse, quod de di-
vitiis Ottoni ex aurifodinâ hâc partis, & inde
fundatis Ecclesiis, cœnobiisq̃ue scribit. Quis
enim hæc præter eum? Et quàm vacillat in re-
liquis tota narratio! Quis *duas collegiatas Ec-
clesias*, quis *nobile Palatium Imperiale*, Ottonis
I. tempore, Goslariæ ex coævis memorat, aut
ab ipso fundatas annotat? Quamvis enim
Adamo Bremensi l. 3. c. 30. non credam, Hen-
rici demum III. temporibus Goslariam funda-
tam,

tam, ab eoque *ex mōlendino seu parvo tugurio,*
in tam magnam civitatem perductam; certum
tamen est, non levi errore ad Ottonem I. ab
Engelhusio referri, quæ ad Henricum III. per-
tinent, à quo *Palatium & duas omnipotenti Deo*
congregationes institutas, scribit Adamus, Impe-
ratori illo *σύγχρονον* &. Deinde, quænam est
Ecclesia illa, aut cœnobium, Romæ ab Ottone
constructum, silentibus omnibus, qui Italica il-
lius narrarunt, solo id tradente *Engelhusio*?

XX. Igitur propter Engelhusium quidem
non est, ut credamus, vel prioribus Ottonis an-
nis illas venas esse repertas, vel jam tum tem-
poris magnas potuisse Cæsari ex iis nasci diviti-
as. Patebit enim deinde, diu post Ottonem,
nondum adeò magnos fuisse redditus illos, nisi
deteriores semper factos in gratiam Engelhusii
credere velimus. Aliæ erant Ottonis M. divi-
tiæ, quas, tot terrarum dominus, fisco Cæsareo
sibi adhuc constante, undecunque habebat, suffi-
cientes exstruendis Ecclesiis & cœnobiis, non
Romæ quidem, sed in Germania: quæ hodie-
que Pij Imperatoris munificentiam passim lo-
quuntur.

XXI.

XXI. Ut igitur jam concludam, in sententiarum illa varietate, videntur tamen omnes historici in eo concordare, Saxonicas illas Metallifodinas, & quidem Goslarienses seu Rammelsbergicas, Ottonis temporibus deberi, quamvis ipse annus non adeo certus sit. Et si citatum antea Amelungsbornensis Chronici locum cum Engelhusio, strictè de Henrico Aucupe interpretari eidemque aliquid valoris tribuere velimus, possemus dicere, jam tum sub antecessore Ottonis, Henrico Aucupe, aliquas inventas fuisse venas, sed, pretio operæ non respondente, vix innotuisse illius rei inventionem; sub Ottone autem largiora omnia præbentibus venis, Imperatoris illius auspiciis inventas rectè scribi.

XXII. Cur enim præfractè nolim negare, jam tum aliquas venas sub Henrico Aucupe in hac vicinia innotuisse, faciunt antiquæ tabulæ, hodieque in exactissimis *notis Meibomianis in Chronicon Corbeense* p 135. superstites, mentionem facientes *Metallorum* ad Sigfridum Comitem Saxonie pertinentium, quamvis, qualia fuerint, non addatur. Continent illæ fundati-

C

onem

onem Monasterij Gröningensis ad Bodam fluvium, datae ipso anno 936. quo Henricus Au-
ceps mortuus est, & Otto M. ad Imperium per-
venit. Verba hæc sunt: *Notum fieri volumus, qualiter quidam Comes Sifridus nomine, ob spem retributionis aeternæ tradidit hereditatem suam ad nostrum Monasterium in pago Hardgo, in loco, cui vocabulum est Westergro-
ningen, sito iuxta fluvium Bode, hoc est, Ecclesiam ipsam cum Clericis, quos ibi proprios habuit, ET METALLIS, & quicquid in Australi parte Ecclesiae intra urbem est. &c.*

XXIII. Deinde, quæ Ottonis tempore re-
pertæ fuerunt, *argenti* venas fuisse, Witichindo
συχρόνω, & Saxoni, credimus potius, quam a-
aliis, de *Auro* multum fabulantibus, Engelhu-
sio imprimis, tantas ex *aurifodina* divitias ar-
cessenti. Hodieque enim *argenti* venæ hic
ditissimæ sunt, *auro* autem eductio sumtus non
fert.

XXIV. Videamus autem nunc porro
primos illarum venarum cultores, quos *Fran-*
cos fuisse scribunt. In Chronico Amelungs-
bornensi apud Engelhusium, de paupere illo,
sub

sub Henrico Imperatore, in loco, qui postea
Goslar dictus, habitante, nomine *Gundelkarl*,
hæc habentur: *Franconiam* adiit; erat enim
Franco, & plures gentis suæ viros socios secum
sumens, locum edificare cœpit, venas metallo-
rum, cupri, plumbi & argenti reperit, ditatus
ultra modum, sicque plures accurrentes civita-
tem edificant. Sic locum illum alienigenæ fun-
dantes, *Saxoniæ* cesserunt; unde adhuc montem
eundem quondam *Franckenberg* nominave-
runt. Jam tum autem suprâ illa in dubium
à me sunt vocata: nec Franci peritia rerum
Metallicarum præ aliis unquam inclaruerunt,
vel tum temporis eo nomine celebres fuerunt:
ne id quidem credo hujus Chronici Auctori,
montem *Rammesberg* quondam *Francken-*
berg fuisse dictum.

XXV. Neque probare possum, quæ de
Francis à Franciæ Rege Hugone per Ottonem
M. petitis in *Topographia Brunsvic.* p. 170. nar-
rantur: rectè potius ab Impp. Conrado II. Sali-
quo & Henrico III. vel Nigro, Ducibus Fran-
coniæ, evocatos esse Francos, ut populosa ma-
gis fieret Goslaria, & hinc illa nomina, *Fran-*

ckenberg/ Franckenscharn superesse, notavit *Th. Schreiber* l. c. p. 27.

XXVI. Neque tamen verisimilitudine carent etiam ea, quæ Generosus Dn. *Cöhneis in der Bergkunst* fol. 77. notat, Francorum nomine tum temporis omnes quasi externos appellatos, ideoque non proprie dictos Francos fuisse, sed alienigenas tantum: reverâ autem ex Misnia fuisse oriundos, & quidem ex urbe Grimmensi, unde familia Grimmiorum hodieque in urbe Goslaria superfit: quamvis etiam non constet isto ævo Misnicos artis Metallicæ peritos fuisse, cum potius subsequitis temporibus à nostris Saxonibus artes illas edocti sint. Verùm, quicquid hâc de re sit, valde probabile est, ad novum opus accersitos fuisse externos, incolis non satis peritis hujus artis tractandi metalla.

XXVII. In ore omnium incolarum frequens circumfertur traditio, de Ottonis I. Venatore quodam, cognomento Ramme dicto, cujus equus, dum ipse pedes persequeretur feras in altissimis montibus ac rupibus, arbori alligatus

tus terram interim unguis scalpendo, primam
detexerit æris venam. Undè & hic Ramme
monti Rammesberg, uxor vero eius Gosa, flu-
vio Gosæ, & ipsi deinde urbi Goslariæ, nomen
dederit: quæ in vernaculo Chronico Saxonico
etiam habentur. Quo respiciunt quoque ad-
ducti ab Engelhusio p. 176. versus Poetæ *T.*
Emb. (qui non est alius, quam *Theodorus*, vel
Tidericus, Lange seu *Longus*, Canonicus Eim-
becensis & Goslariensis, qui *Poësin Ducum*
Brunsvicensium scripsit, & aliud *de laudibus Sa-*
xoniae poema, quod ante hos triginta annos pri-
mus publicavit antea citatus *Dn. Johannes*
Henricus Meibomius.)

Longæ silvæ scrutator, servorum concomitator
Ramme fuit dictus, rammorum pertulitictus.
Est mox tantillo Rammesberg dictus ab illo
Uxor eius Goza: nunc est ex hac aqua Goza.
Et pluribus hæc, tanquam indubitatae fidei hi-
storiam, narrat laudatus *Rohneiß.* fol. 77. ad-
jiciens, paucos ante annos Goslariæ in cœme-
terij Franckenbergici facello sub terra repertum
esse

esse lapidem sepulchralem, effigiem venatoris Rammi, gladium manibus tenentis, & uxoris ejusdem Gosæ, coronam in capite gestantis, representantem. Quæ totidem ferè verbis narrantur in *Topograph. Brunsvic pag. 169.* Verùm cum dictis locis tam accuratè describatur lapidis illius figura, nec tamen ullius inscriptionis mentio addatur, equidem non video, unde divinaverint homines, hanc Rammi & non alterius forsan fuisse effigiem, præsertim cum venatricis capiti corona, nisi quercus forte ex foliis, non videatur conveniens. Citatus deinde Langius seculo demum XIII. circiter vixisse creditur: quare silentibus hâc de re, quotquot mihi quidem videre contigit, Historicis antiquis, fides hujus fabellæ meritò vacillat.

XXIIX. Postquam autem in prima sub Ottone venarum Metallicarum inventione factis diu substitimus, operæ pretium erit, investigare, quo successu à posteris excultæ sint Seculi XI. initio sub *Henrico II.* non neglectas fuisse Rammelsbergicas illas fodinas, tradit *Scribe-rus l. I. p. 38.* nullis tamen Auctòribus adductis; cogimur itaque & nos in incerto illa relinquere, defi-

deficientibus, qui memorent, Historicis. Quamvis etiam deinde Cæsares valde amaverint Goslarium, urbemque illam, *pro patria ac pro lare domestico Teutonici Reges incolere soliti fuerint*, ut scribit *Lambertus Schafnaburgensis* ad Annum 1071. nec desint, qui historiam illorum temporum rerumque in Saxonia gestarum nobis conservaverint, tamen de Metallifodinis altum est silentium. Valde tamen ditata Urbs Goslaria, & ab eodem modo citato *Lamberto* ad A. 1075. p. 222. *locus ditissimus*, appellata, posset in suspicionem aliquem inducere, per vicinas metallifodinas ditatam fuisse urbem, ideoque jam tum temporis illas floruisse, cum alias commerciis & congerendis opibus non adeo opportuna sit urbs illa.

XXIX. Sub *Henrico IV.* Imp. cum occasione exstructorum castellorum, à conjuratis Saxoniae Principibus in ipsos montes Harticos transferretur bellum, valde quidem verosimile videtur, non potuisse operibus suis vacare Metallarios. Non tamen toto illo Henrici IV. ævo cessasse, quicquid hic locorum bene fuerat cœptum, sed quandoque magna iterum industria,
nec

nec sine proveniente inde utilitate esse continuatum, vel inde satis colligere licet, quod Henricus I V. decimam Goslariæ alicui in feudum contulerit, si credere licet unico Auctori, licet Anonymo, cujus proinde ipsa verba huc adducam. Editus autem est ille *Anonymus Chronici Ducum Brunsvicensium Auctor*, à Cl. Madero, vixitque & scripsit circa Annum 1280. & pag. 12. ita loquitur: *Ekbertus, Brunonis defuncti frater, qui Marchio dicebatur, genuit Ekbertum & Gertrudim. Quæ defuncto Patre, & fratre à fautoribus Imperij (Imperatoris legendum hic censeo, nam Ecbertus ille Isenbutteli in molendino fuit occisus anno 1090. à quibusdam Imperatoris fidelibus, ut disertè scribit ad illum annum Albertus Abbas Stadenfis) interfecto, hereditatem in Brunswick obtinuit. Cui fidelis erat inter alios Ministeriales WIDEKINDUS DE WULFERBUTLE, avus Eberti, Patris Gunzelini, Patris Burchardi de Assenborch, adeo ut pro eo (legendum videtur: pro eâ) obses esset Hinrico IV. Imperatori. Cuius Widekindi fidelitatem & constantiam Imperator ipse comperiens, Castrum Scharvelde, DECIMAM MON-*

TIS

TIS GOSLARIAE, officium Imperiale in Polede,
cujus proventus erant *M. D. librae*, ei jure con-
tulit pheodali: quæ tamen citò vacabant Impe-
rio, cùm *Widekindus tantùm filias genuisset.*

XXX. Hic quidem illud dubium non ha-
bet, & aliunde quoque certum est, *Witichin-*
dum de Wulferbutle pro Gertrude, quæ ab Hen-
rico IV. male habita, obsidem fuisse, & diu Im-
peratorem comitatum, tandem tamen liberta-
tem adeptum: & *Auctor belli Saxonici* p. 146.
postquam narravit, Cæsarem in prælio illo no-
tabili ad Flateheim anno 1080 multa promit-
mittendo Saxones ab invicem divisisse, quen-
dam *Widekin à Saxonibus cum multis aliis ad*
hostes transivisse, scribit: qui sine dubio est ipse
ille *Witichindus de Wolfenbutle*, Cæsarem sibi
hoc transitu demeriturus, uti etiam demeruit.
Quæ tamen ibi de *Assenburgis* narrantur, non sa-
tis patet quomodo huc pertineant, & inter se
cohæreant. Videtur narrare voluisse *Auctor*,
quinam suo tempore ex posteris *Widekindi de*
Wolfenbütle superfuerint, & sine dubio rectè
narravit, per descriptores autem ad nos verba
ista corrupta pervenerunt. Circa medium se-
culi

D

culi

culi xii. in nobilissima Asseburgiorum familia
memoratur *Ecbertus*, qui habuerit ex filio *Bur-*
chardo tres nepotes, *Ecbertum*, *Borchardum*, &
Guncelinum, Advocatos Heiningenses, & in illo
monasterio sepultos. Ex quibus *Guncelinus*
iterum tres habuerit filios, *Ecbertum*, *Borchar-*
dum & *Guncelinum*, qui Anonymo scriptori co-
ævi fuerunt. Posset igitur quis suspicari *Echer-*
ti Asseburgii, quem Anonymus memorat, Pa-
trem, filiam *Widichindi de Wolfenbutle* con-
jugem habuisse, ex cujus posteritate suo tempo-
re *Burchardus Asseburgius* vixerit, & apud Au-
ctorem hunc, cujus verba manifesto corrupta
sunt, pro *Patris* legendum esse *Avi* (cum illa re-
petitio vocis *Patris* vitium describentis indicet)
hoc modo: *Widekindus de Wulferbutle, avus*
Ecberti, AVI Gunzelini, Patris Burchardi de
Asseborch. Henrici etiam IV. temporibus nulli
adhuc inveniuntur Asseburgii in antiquis literis,
estque constans traditio, antea illos *ab Indagine*,
vom Bagen dictos, & seculo demum XII. ab
arce, ruderibus nunc tantum suis nota, id no-
men accepisse. *J. Letznerus* Chronici Dassili-
ensis lib. 3. cap. 4. scribit, Asseburgiorum nomen
datum

datum ipsis à vulgo propter sedem illam, aliàs
eos diu adhuc antiquo nomine *der vom Hagen*/
gen/ufos. Illud quoque, quod dicit Anonymus,
Widekindum de Wolfenbutle filias tantum
habuisse, suo loco relinquo. Nobilium enim
quorundam de *Wolfenbutle* frequens deinde
adhuc in antiquis tabulis fit mentio, ut in diplo-
mate Ottonis, primi Brunsvicensium & Lyneb.
Ducis, dato Monasterio Isenhagen A. 1243. qui
tamen fortassis non ab ipso hoc Witichindo, sed
ab ejus agnatis descenderunt. In literis Reinhar-
di Episcopi Halberstadiensis A. 1118. *Witichin-*
dus de Wolferbutle memoratur, qui an idem sit
cum eo, quem memorat Anonymus, non au-
sim certò affirmare; fortassis tamen eousque
produxit vitam. Quicquid autem sit, quum
Anonymus hic Decimam Goslariensem à Cæ-
sare Henrico, Witichindo de Wolferbutle in feu-
dum collatam, tot annexis circumstantiis, refe-
rat, quamvis & solus hæc narret, & post annos
penè ducentos, non tamen ausim vocare in du-
bium. Videtur enim ex alio hæc hausisse co-
ævo historico.

XXXI. Friderici I. temporibus fodinas

D 2

Ram

Rammelsbergicas excultas fuisse, vel ex *Ecstor-*
mio colligere licet, qui in Chronico Walkenre-
densi p. 50. ita scribit: *A.C. 1157 Fridericus I.*
Rom. Imperator monasterium in protectionem
suscepit, dedit ipsi QUARTAM PARTEM RAM-
MELSBERGI GOSLARIENSIS, cum libera
potestate permutandi res & bona sua cum S. R.
Imperii subditis. Acta sunt hæc Goslarie in pa-
latio Casareo.

XXXII. Illis etiam temporibus, cum
Henricus Leo Widekindum Dasenburgium in
castro suo Dasenburg obsideret, in expugnatio-
ne castri illius mentio fit operariorum Ram-
melsbergensium, quod verbis *Helmoldi l. 2.*
Chron. Slav. c. xi. memorabo. *Cum omnem,*
inquit, obsidionis & machinarum violentiam
mons altior eluderet, misit Dux, & vocavit vi-
ros industrios de Rammesberg, qui aggressi rem
difficilem & inauditam, perfoderunt radices
montis Dasenberg, & interiora montis collustran-
tes, repererunt puteum, unde Castellani haurie-
bant aquam, quo obturato, defecit aqua castella-
nis. Idem verò Henricus Leo, adversariorum
suorum, & Friderici Cæsaris imprimis potentia
ad

ad angustias redactus, & irritatus, anno 1180. congregato exercitu Saxoniam aggressus, folles Goslariensium incidit, officinasq; operis eorum destruxit, ceu ad hunc annum memorat *Chronicon Montis Sereni*. Cui simile narrat ad Annum 1182. *Chronicon Bigaugiense*, editum à CL. Madero, & rectè addit, everfos esse folles illos Goslariæ in *Cæsaris injuriam*, utpote ad quem urbs ipsa, & fodinæ illæ Metallicæ pertinebant, ut deinde ostendetur.

XXXIII. Sub *Henrico VI.* Cæsare, finiente Seculo XII, laudari iterum industriam Rammelsbergensium in excavando monte deprehendo, quæ nec hic omittenda est. Henricus enim VI. cum sub finem seculi XII. Henricum, Leonis filium, Ducem Saxoniae & Palatinum Rheni, sacrae suæ expeditionis non tantum socium sumeret, sed etiam in exercitu suo Ducem faceret, castrum quoddam *Chorutum nomine*, unius diei itinere à Tyro distans, maxima obsidione Dux Henricus vallavit. Et quia locus ille præruptus erat nimis, & quasi inaccessibleis, novum genus expugnandi, hostibus verò omninò incognitum, sunt aggressi. Fuerunt sanè ibi nonnulli de

Saxonia (retineo ipsa verba *Arnoldi Lubeccensis*
Chron. Slav. l. 5. c. 4. qui solus, quod sciam,
hanc rem memoravit) quibus erat notum, quâ
arte excavatur MONS ARGENTARIUS, QUI APUD
GOSLARIAM multis est cognitus. Multo igitur
labore expensaque plurima opus illud aggressus
est. Praefectis quidem operis vigilantius insisten-
tibus, cooperantibus verò castrorum in gyrum
reciproca vice sese alternantibus. Cumque tali
arte montem cavarent, appositoque igne, prout
libuit, muros cadere facerent, hostes exterriti
nesciebant quid agerent, dum castrum subruere
quasi sine tormento murorum viderent. &c.
Quæ integra recitare volui, ut pateat, artem il-
lam per cuniculos suffodiendi & diruendi arces
murosque igne supposito (quæ hoc seculo ad
summum pervenit, priscis tamen non incogni-
ta, ceu vel ex iis patet, quæ de Cumarum expu-
gnatione à Narsete facta, narrat *Agathias* histor.
lib. 1. p. 540.) illo ævo orienti ipsi mirabundo à
Saxonibus nostris Rammelsbergicis, dirigente
Henrico, ex Serfsmorum Ducum & Dominorum
nostrorum progenitoribus Principe fortissimo,
esse ostentatam. Quo respiciens sine dubio Vir
CL.

CL. *Johannes Justus Vinchelmannus*, in Genealog. Ducum Br. & Luneb. nuper edita, de hoc Henrico Palatino p. 75. scribit, quod cum suis fidelibus Saxonibus & Metallariis magnum terrorem hosti injecerit.

XXXIV. Sub Ottone IV. ex hac Serf. ma Domo, Cæsare Augusto, etiam metallifodinarum Hartzicarum memoria extat. Equidem exorto inter illum & Philippum Anti Cæsarem bello, cum illud in hac vicinia arderet, ipsâ Goslaria per Guncelinum Dapiferum Ottonis occupata & direptâ, fortassis non leve quoque damnum Rammesbergicæ fodinæ passæ sunt, quod existimat *Schreiber*. l. c. p. 41. *Arnoldus* tamen *Lubecensis*, qui hanc Goslariæ direptionem pluribus narrat, lib. 6. c. 7. quemque *Cranzius* aliique sequuntur, id non tradit. Interim, non est dubium, quin dein majorem Otto earum curam habuerit. Ex patrimonio enim paterno *totus mons Hart* ad illum pervenerat, ut est in tabulis divisionis inter Henrici Leonis liberos factis: ad eundem verò, ut Cæsarem Augustum, metallifodinæ spectabant. Quod enim tunc excultæ sint, satis manifestum est ex Diplomate Ottonis hujus,

hujus, quod hodieque integrum superest apud *Ecstormium* in Chron. Walkenredensi, p. 75 quo monasterio illi *se Imperiali Auctoritate possessiones infra scriptas &c. curiam & areas, quæ possideat monasterium prædictum in Goslaria, cum universo emolumento, quod ibidem habet in monte, & casas conflatorias, quas habet in nemore,* confirmare testatur. Datum est Diploma A. 1209. De quibus bonis suis Harzicis valde solliciti Walkenredenses, non solum à Cæsare ea sibi confirmari fecerunt, sed jam tum ante ab Innocentio X. Pontifice Romano. Is enim in bulla A. 1205. data & à quindecim Cardinalibus subscripta, confirmavit nominatim omnia bona, quæ tunc fuerunt penes Monasterium, & inter illa, *Officinas in Hercynia* (id est *Harzicis montibus*, ut supra exposui) *cum omnibus libertatibus*, ceu videre est apud modo citatum *Ecstormium* p. 69. qui bullæ quidem non omnia verba, quædam tamen recitat.

XXXV.

XXXV. Sed jam è turbulenti ad illa fe-
licia pervenimus tempora, quibus regnante Fri-
derico II. Augusto, superstite, ex Henrici Leonis
posteris, Ottone, quem Puerum vocant, Duca-
lis dignitas, quæ ad hanc Sers. mam domum jam
anno 1071. per Welfum Azonis filium devene-
rat, novo titulo fundata est, & simul Metallifor-
dinæ ad Ottonem, & in eo ad omnes Sers. mos
Successores pervenerunt. Factum hoc est in ce-
leberrimis illis Comitibus, Moguntia 1235. habi-
tis, in quibus frequentissimus Episcoporum,
Principum, Comitumque numerus fuit, *quorum*
consilio, consensu & assistentia, ut habent verba
Diplomatis Cæsarei, Fridericus II. Ottonem in
Ducem Brunsvicensis & Lyneburgensem sub-
limavit, Eidemque Goslarienses illas metallifor-
dinas, quæ ad Imperium tum temporis pertine-
bant, donavit. Verùm præstat ipsa Imperato-
ris in tabulis illis verba, præcipuè, quæ huc fa-
ciunt, audire: FRIDERICUS Secundus &c.
Per præsens scriptum noverit præsens ætas, &
futura posteritas, quod, cum propositi nostri fo-
ret, ut dilectum consanguineum nostrum OT-
TONEM DE LUNEBORG ad fidem Imperii & de-
E votio.

votionem nostram efficeremus arctius obligatum,
nec loci vel temporis opportunitas affuisset, quo
conceptam erga eum intentionem nostram prose-
qui nos deceret. Contingente causa nostri felicis-
simi adventus in Alemanniam, & pro refor-
matione totius terra status, indicta Maguntia
curia generali, dictus Otto, ad eandem curiam vo-
catus, accessit, &c. Se totum in manibus nostris
exposuit, nostris stare beneplacitis, & mandatis,
& insuper proprium castrum suum Luneborg,
quod idiomate Teutonico vocatur Eigen/ cum
multis aliis castris, terris & hominibus, eidem
castro pertinentibus, in nostram proprietatem &
dominium specialiter assignavit, ut de eo, quic-
quid nobis placeret, tanquam de nostro proprio fa-
ceremus. Nos autem, qui tenemur modis omni-
bus Imperium augmentare, praedictum castrum
Luneborg, cum omnibus castris, pertinentiis &
hominibus suis, quemadmodum ex ejusdem Ot-
tonis assignatione in proprietatem accepimus, in
praesentia Principum, in Imperium transtuli-
mus, & concessimus, ut per Imperium infeodari
debeat. Civitatem insuper de Brunsvic, cujus
medietatem proprietatis domini à Marchione
de Ba-

de Baden, & reliquam medietatem à Duce Ba-
varia, dilectis Principibus nostris, emimq, pro par-
te uxorum suarum, quæ fuerunt filia Henrici de
Brunsvic, Comitis Palatini Rheni, Patruï dicti
Ottonis, similiter in eadem curia Imperio conces-
simus, proprietatem nobis debitam in dominium
Imperii transferentes. &c. Quapropter cum
consilio assensu & assistentia Principum, Civita-
tem Brunsvic & castrum Luneborg, cum omni-
bus castris, hominibus, & pertinentiis suis uni-
vimus, & creavimus inde Ducatum, & Impe-
riali auctoritate dictum consanguineum nostrum
Ottonem Ducem & Principem facientes, Du-
catum ipsum in feudum Imperii ei concessimus,
ad heredes suos, filios & filias hereditarie devol-
vendum, & eum solenniter juxta consuetudi-
nem investivimus per vexilla, de affluentio-
re gratia concedentes eidem De-
cimas Goslarie Imperio pertinen-
tes.

XXXVI. Occasionem autem huic novæ
investituræ potissimum præbebat ortum inter

Fridericum II. Imp. & Ottonem hunc dissidi-
um, cuius causa erat Imperatoris in Urbem
Brunsvigam prætenſio, cuius diploma ipſum
meminit, quamque plenius explicabo. Erant
Henrico Leoni tres filii, Henricus Palatinus Rhe-
ni, Otto, poſtmodum Imperator Auguſtus, &
Wilhelmus. Otto nullos reliquerat liberos; Hen-
ricus Palatinus maſculos quoque nullos, ſed ex
priore conjuge Agneta, Conradi Comitis Palati-
ni filia, duas filias, ex quibus major natu nupſit
Marchioni Badenſi, minor Duci Bavariæ. Hæ,
quoniam ſine liberis mortuus Otto Patruus, cui
in diſiſione Urbs Brunsviga & vicina terræ ces-
ſerant, in Brunſvicenſe illud territorium ſibi juſ
arrogabant, quod omne, Illarum nomine, ma-
riti modo dicti Friderico II. pro certa, nec adeò
magna pecuniæ ſumma, vendiderunt, petente
ſine dubio Cæſare, qui dudum Saxoniam inhiave-
rat, & mox præſidarios milites arci Tanquarde-
rodæ impoſuit. Otto autem, Wilhelmi filius,
Leonis unicus Nepos, Lyneburgicæ terræ & Sta-
denſis Comitatus Dominus, indignè ferens, pro-
genitorum ſuorum bona ab exteris detineri, ex
improviſo cum militari manu Urbi Brunſvicen-
ſi ap.

si appropinquat, & mœniis transcensis, ejecto-
que Cæsariano præsidio, Urbem occupat, quie-
scentibus interea Civibus, cum quibus clam an-
tea egerat, ne, si quid per vim tentaret, ipsi arma
sumerent. Id malè admodum habuit Cæsarem,
ideoque Henricum filium primogenitum, nu-
per Cæsarem designatum, in Saxoniam, comi-
tante Eum Duce Bavarix, (possessionem scilicet
rei venditæ suo & Marchionis Badensis nomine
tradituro) misit, qui tamen jam occupatam ar-
cem & urbem ab Ottone intelligentes, re infe-
cta abierunt. Mansit igitur dominium quidem
Urbis & territorij Brunsvicensis penes Otto-
nem, sed & odium Cæsaris erga Eum, qui juri
suo non renunciatis semper recuperandi ani-
mum habebat; Donec post integrum ferè octen-
nium dictus Imperator ex Apulia in Germani-
am veniens comitia indiceret Moguntiam. Ubi
interventu Principum quorundam Ottoni be-
nevolentium, pacisque studiosorum, lis hæc ita
est composita, ut Otto se submitteret Impera-
tori, & allodiales suas ditiones Imperio resi-
gnans, in feudum iterùm ab Imperio easdem,
aliaque beneficia reciperet, quæ pluribus accu-

ratissimè exposuit, consummatissimus Polyhi-
stor, Dn. *Henr. Meibomius*, Avus, in erectione
Duc. Brunsvic.

XXXVII. Mihi nunc paucis tantum con-
siderare libet, quæ in illis Comitij, Imperato-
ri beneficio, & tot Principum Imperij consen-
su Serenissimæ domui accesserint. Ubi primo
quidem loco occurrit *Ducalis dignitas*. At il-
lam jam Ottonis Atavus Guelphus VI anno
1071. domui intulerat, quando Goslarix in nata-
li Domini ab Henrico IV. Cæsare Dux Bojoariæ
creatus est, ceu narrat *Lambertus Schafnab.* ad
annum illum. Cujus Guelphi nepos Henricus
Superbus, illiusque filius Henricus Leo, præter
Bavariæ Ducis, Saxonix insuper Ducis, titulum
acceperant. Qui dein proscriptus, & Ducatu
Saxonix exutus, vix quibusdam patrimoniali-
bus terris relictis Ducis tamen titulum non de-
posuit, quamvis Imperator ipsi ex eo tempore
non dederit, uti apparet ex diplomate Episcopo
Frisingensi Adelberto dato A. 1180. in quo Fri-
dericus I. eum vocat: *Nobilem virum Henri-
cum de Brunsvic, quondam Ducem Bavariæ &
Saxonix.* Nihilominus tamen Henricus, Leo-
nis

nis filius primogenitus, semper se in literis & sigillis *Ducem Saxoniae & Comitem Palatinum Rheni*, vocavit: imò Henrici Palatini filius *Henricus* in Epitaphio, quod in monasterio Scho-naugiensi ipsi positum est, vocatur *Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniae*. Wilhelmus alter filiorum, non temerè, quod sciam, Dux, in diplomate tamen fratris Ottonis IV. Imperatoris Hamerslebiensibus An. 1200. dato, *Princeps Lynaburgensis* vocatur. Wilhelmi filius, *Otto Puer*, viventibus fratribus *Dominus de Luneborg*, seu *Otto de Luneborg* dictus est, uti etiam vocatur in diplomate Friderici II. mortuis verò fratribus, & occupata Brunsviga, *Dominum de Brunsvic* se scripsit, Ducem tamen, quod sciam, nunquam. Illi verò Ottoni collata est Ducalis dignitas à Cæsare, & quidem inaudito antea in Imperio Germanico titulo, de *Brunsvic & Lyneborg*.

XXXIIIX In illa jam collatione Ducalis dignitatis id considerandum, quod Otto quidem sua patrimonialia seu allodialia bona in Cæsaris proprietatem & dominium resignaverit, Cæsar verò omne etiam jus, quod ad se em-
ptionis

ptionis titulo in Urbem Brunsvicensem pertinere putabat, Imperio concesserit, & in ejus dominium transtulerit. Quibus tum omnibus simul sumtis, ut omnes imposterum lites, & simulas inter Imperatorem & Ottonem tolleretur, ampliori titulo infeudatus est.

XXXIX. Ut tamen Imperator de bonis quoque imperij ipsi aliquid largiretur (nam hæc quidem omnia allodialia fuerant Majorum Ottonis bona) & pro spontanea hac subjectione se gratum præberet, *de affluentiore gratia, concessit Eidem Decimas Goslariæ Imperio pertinentes.* Per quam solennem donationem ad Serf. mos Brunsvicensium & Lyneburgensium Duces primò omnium hæc Regalia pervenerunt, quæ aliàs, ut ipse Imperator testatur, *Imperio pertinebant.*

XL. Quamvis enim cum Metallifodinis aliter res sese habeat nostris moribus, de quibus Generosus Dominus à Seckendorf in *Teutscher Fürsten Staat* p.3. c.3. n.2. testatur, daß nunmehr schwerlich ein Exempel sein werde / daß ein Regirender teutscher Kaysar irgendwo solch Berg-Regal /
auffer

ausser seinen Erblanden / in Übung habe; olim tamen secus fuit, pertinueruntque illa omninò ad Imperium, & inter Imperatorum Regalia fuerunt. Id quod ex ijs quoque, quæ de Harticis Metallifodinis diximus, patet, dum Cæsares ab Ottone M. usque semper eas habuisse, vel alijs in feudum tradidisse, pluribus ostendimus. Est verò hoc jam tum à nonnullis Jurispublici Doctoribus ostensum, ijs præsertim, qui ad Auream Bullam, per quam Electoribus Argentifodinæ conceduntur, commentati sunt, aut qui de Regalibus scripserunt: non putem tamen me peccare, si ad hujus Cæsarei Diplomatis illustrationem, non protrita illa, sed ex ipsis quoque aliorum Cæsarum tabulis petita, adducam, ut suis verbis sua sibi jura asserant Augusti.

XLI. Carolinis temporibus quomodo sese res habuerit, vulgo non annotatur. Vetustissimum quidem diploma refert *Melchior Goldastus* in *Constitut. Imperial.* p. 17. Metallifodinarum privilegium exhibens à Carolo M. Comitibus Gleichensibus concessum; quod ita incipit: *Carolus divina favente gratia Romano-*

F

rum

rum ac Francorum Rex &c. Terrarum Saxo-
num & Thuringorum, Dominator, Dilectis ac
Nobilibus filiis, Ludovico Seniori, Equiti & Mi-
liti nostro Christiano, exercitusque enim Capita-
neo Generali in Hispania contra incredulos: nec
non ejusdem heredibus, Carolo & Ludovico, sa-
lutem. Considerata devotione vestra &c. Ver-
ba autem huc pertinentia ita habent: Propter-
ea tibi tuisque heredibus concedimus tractum
Regionis in saltu nostro Thuringiaco, ad 20. mil-
liaria in longitudine, & 10. in latitudine jure
hereditario possidendum, & facultatem damus
in territorio districti illius dominationis quærere
& fodere aurum argentumque, atque omnia
alia metalla, uti debeatis & possitis. &c. Ex
quibus colligi posset, jam tum Carolum M. Me-
tallifodinarum Jus ita inter Regalia majora re-
tulisse, ut crediderit, etiam in illis terris, quas
pleno hereditario Jure aliis dederat possiden-
das, non licere tamen ipsis aurum argentumque
fodere, nisi id singulari privilegio Regio esset
concessum. Colligi, inquam, hoc posset,
siquidem ipsæ tabulæ essent probatæ satis fi-
dei. Sunt autem illæ ab audaculo & ineptissi-
mo

mo homine, in quo vanitas & imperitia certarunt, confictæ, idque ita clarum est, ut neminem in historia ævi Carolini versatum latere possit, sive ad donantis titulum, sive ea, quæ donantur, sive eos, quibus donantur, sive donationis locum, tempusve respiciat.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.
Ut mirer, cur magnus Goldastus, quem fugere talia non potuerunt, in pulcherrimo illo Constitutionum Imperialium corpore hanc foedam maculam extare voluerit.

XLII. Interim Carolino ævo metalla ad Reges pertinuisse, non dubito, & colligere etiam id inde licet, quod Ludovicus Pius, cum inter filios suos, Lotharium, Pipinum & Ludovicum, ita divideret Imperium, ut primogenitus Lotharius *successor Imperii* constitueretur, *cæteri fratres Regis insigniti nominibus, in certis locis sub seniore fratre regali potestate juxta certa capitula potirentur*, de METALLIS sibi aliquid in favorem minorum filiorum, seu fratrum Lotharij, constituendum judicaret, metuens, ne alias Lotharius senior in illis quoque terris, quas fratribus ejus concesserat, ea sibi vindicaret. Qui

metus Cæsaris fuisset frustraneus, nisi ita receptum fuisset, ut ad summum Regentem, quemque alij comiter observarent, Metalla pertinerent. Extat hodieque *Charta Divisionis Imperij* à Ludovico Pio facta, sed non nisi nuperime demum ex veteri Codice Bibliothecæ Colbertinæ ab eruditissimo *Stephano Balurio* eruta, qui eam in splendidissima *Capitularium Regum Francorum* editione t. 1. p. 574. comparere voluit. Merentur autem Ludovici Augusti verba hîc adscribi: *De tributis verò, & censibus, vel METALLIS, quicquid in eorum potestate exigi vel haberi poterit, ipsi habeant, ut ex his in suis necessitatibus consulant, & dona seniori Fratri deferenda melius preparare valeant.*

XLIII. Sed progrediamur ad posteriora tempora, quibus Imperatores seu Reges & in Italia, & in Germania, adeoque in toto Imperio Romano Germanico, metallifodinas ad se pertinere judicarunt, ceu exemplis indubitatis patebit. FRIDERICUS I. Imp. quando A. 1164. Kalend. Octobr. *Guidoni Guerre* in terris quæ jam tum possidebat, omnia Jura quæ Imperator habebat, indulgeret, ARGENTI FODINAS, FERRIFODINAS,

nas

NAS (verba sunt tabularum à Sigonio lib 13. de Regno Italiæ p. 316. conservata) & quicquid è terra ejus erui posset, Alpes, montes, valles, & omnia, QUAE AD SE ATQUE IMPERIUM PERTINERENT, concessit.

XLIV. HENRICUS VI. Imp. A. 1189. easdem sibi asserit in Diplemate, dato Ecclesiæ Mindensi, quod *Anonymus collector Chronici Mindensis*, & privilegiorum *Mindensium* à Pistorio editus p. 743. & deinde *Goldastus* t. 3. *Constit. Imperial.* p. 362. conservarunt: uterque hoc nomine benè de publico meritis, cùm Anonymus privilegium ipsum primus & plenius ediderit, Goldastus verò aliud mandatum ejusdem Imperatoris ad Episcopos præmiserit. Nos ex utroque omnia huc facientia apponemus, ut simul ea illustremus nonnihil, & emendemus, ubi corrupta videntur. Erant scilicet tum temporis in Episcopatu Mindensi repertæ Argentifodinae sub *Ditmaro*, Episcopo Mindensi xxvii. quod & in *Chron. Mind.* à Pistorio edito annotatur, prætermisso tamen loco, ubi inventæ sint, quem nec ex ipsis illis tabulis habere licet. Simul ac autem hoc innotuit, Henricus Imp.

Juris sui tenax, ita ad Episcopos & Comites
scripsit: *Henricus &c. fidelibus suis Episcopis,
Mindensi, Paderburnensi, Osnabrugensi, Comi-
tibus quoque & Nobilibus, & universis homini-
bus in eisdem Episcopatibus constitutis gratiam
suam & omne bonum.* CUM OMNIS ARGEN-
TIFODINA AD IURA PERTINEAT IMPERII, & INTER
REGALIA NOSTRA SIT COMPUTATA, *nulli venit in
dubium, quin ea, quæ nuper in Episcopatu Min-
densi dicitur inventa, AD NOSTRAM TOTALITER
SPECTET DISTRIBUTIONEM, unde in ea nulli homi-
ni quicquam Juris recognoscimus, NISI HOC A
NOSTRA LIBERALITATE VALEAT SPECIALITER IM-
PETRARE.* Mandamus igitur omnibus vobis
& singulis, sub obtentu gratiæ nostræ præcipientes;
*ut nullus vestrum se de prædicta argentifo-
dina intromittat, nec aliquid Juris sine nostra
licentia sibi in ea usurpet.*

XLV. Miserat autem cum hoc manda-
to suo nuncium suum, *Puntium* dictum, qui
de illa argentifodina ordinaret & disponderet:
cui simul tradiderat (ad terminandam sine tu-
multu litem omnem) donationem Ecclesiæ
Mindensi à se factam, quæ ita habet: *In nomi-*

ne

ne S. & individua Trinitatis, Henricus VI. &c.
Cum argentifodina quæ est in Episcopatu Min-
densi constituta, AD IURA PERTINEAT IMPERII, &
INTER REGALIA NOSTRA SIT COMPUTATA, notum
fieri volumus universis Imperii fidelibus, præ-
sentibus & futuris, quod nos fideli nostro Episco-
po Mindensi (Ditmaro scilicet) Ecclesie suæ, nec
non & omnibus Successoribus suis in perpetuum
concessimus & regali auctoritate confirmavi-
mus: duas partes ejusdem argentifodinae, cum
omni fructu & jure exinde rationabiliter pro-
veniente: tertiam verò partem totius argentifo-
dinae & totius fructus, sive Juris exinde prove-
nientis, sive ex DIVINA, quæ in aliis locis recipi
solet, sive ex Iurisdictione vel Judicio, vel alio
quocunque modo proveniat, nobis totaliter &
integre salvam esse volumus, & quietam con-
servari. Ut autem &c. Ubi non possum
non monere, male retentam esse vocem Divi-
na non ab Anonymo illo collectore tantum,
sed judiciosissimo quoque censore Goldasto &
omnibus alijs, qui illum locum adducunt, cum
nullum ibi habeat sensum, & eum potius tur-
bet. Scribendum autem omninò arbitror, levi
facta

facta mutatione *decima*: hæc quippe est, quæ in alijs locis ex argentifodinis recipi solet, quod & ex Diplomate Investituræ Ducalis Ottoni factæ patet, & nostris moribus notissimum est. Sed redeundum in viam.

XLVI. FRIDERICUS II. Cæsar, idem, qui postea Ottonem Br. & Lyneb. Ducem, aliquot annis ante investivit Ludovicum Palatino-Bavarum: in cuius rei memoriam confectas tabulas cum produxerit Ampl. *Marquard. Freherus*, Orig. Palatinar. l. 2. c. 17. p. 87. placet ex ijs verba quædam adducere: *Fridericus &c. ex vera scientia & de mera liberalitate nostra donavimus sibi & heredibus suis, & in rectum feudum concessimus OMNE GENUS METALLI, TAM IN AVRO ET ARGENTO, quàm in alijs, quod in TERRIS PATRIMONII ET FEVDI SUI fuerit repertum, cum omni Jure & utilitate exinde proveniente, ET QUAM NOS ET IMPERIVM PERCIPERE DEBEREMVS.* Sunt hæc tabulæ genuinæ sine dubio, & fortassis à *Frehero* Consiliario Palatino, ex ipso Archiv. depromptæ, quas etiam totidem verbis repetit *Goldastus* Constit. Imper. t. 1. p. 298. & nomina testium quorundam emendat. Qui tamen
sub-

subscriptus est annus MCCXCIX in Freheriana pa-
riter & Goldastina editione, omninò corrigend-
us est, & scribendum MCCXCIX. In margine qui-
dem notavit *Goldastus* an. 1229. Sed id non ad-
mittit temporum ratio. Fridericum enim II.
an. 1197. in Sicilia Regem, anno verò 1212. A-
quisgrani contra Ottonem IV. esse coronatum,
ex historia constat. Ergò annus regni Germa-
nici septimus & regni Siciliae vigesimus secun-
dus, qui in diplomate habentur, erit annus Chri-
sti MCCXCIX.

XLVII. Idem Fridericus Regale hoc in
Misnia sibi sine dubio vindicavit, & habuit:
non enim tantum ab eo *Henricus Misnensis*
Episcopus an. 1230. obtinuit *Jus in Metalla, qua-*
cunque in fundo Ecclesiastico foderentur, ut ex
diplomate Imperatoris ad portum Naonis in
Carnia scripto, refert *Fabricius in annalibus ur-*
bis Misnae lib. I. ad an. 1230. & ex eo *Petrus Al-*
binus in der Berg Chronick t. 3. p. 17. verum
etiam deinde, *quicquid auri argentive, vel cu-*
jusvis metalli ex terris foderetur, aut in aquarum
decurfibus reperiretur, dicavit templo Misnen-
si, ceu mox idem *Fabricius* scribit ad A. 1233. po-
steriori

G

steriori constitutione aut prius confirmans, aut plus etiam largiens.

XLVIII. Nec minus idem ille Fridericus II. Imp. aliis quoque Imperij Statibus Metallifodinarum usum liberaliter concessit. Ita referunt *Laurent. Peccenstein*, *Theatr. Saxon.* p. 1. c. 17. ut & *Goldast Imp. Const.* p. 1. p. 298. Diploma, Dominis Ruthenis de Plauen datum, cujus hæc sunt verba: *Fridericus II. &c. Dilectis ac Nobilibus filiis Henrico Seniori, Regni nostri Advocato, & exercitus nostri Capiteo, Domino de Plauen, & Henrico Juniori, strenuo militi, ejus filio, salutem &c. Propterea vobis Henrico Seniori & Juniori de Plauen, & omnibus vestris heredibus facultatem concedimus, & potestatem, querere & fodere aurum & argentum, & aliaque omnia metalla, uti debeatis & possitis.* (Sunt ipsissima verba, quæ in fictitio privilegio Caroli, Comitibus Gleichensibus dato, comparere voluit Falsarius, de quo supra, qui videtur ex hoc ipso suum construxisse, nimis manifesta fraude.) *Et si qua vel in presenti, vel in posterum aurifodina, vel argenti, aut cujuscunque aris commoda vel utilitates in territorio districti domina-*

mina.

minationis vestra supervenerint, hac vobis &
heredibus cedant, cum proventu omnimodo, No-
bis nec alicui ulli aliquid inde teneri debere &c.
Datum ad portam Naonis in Carinthia A. 1232.
10. Maji.

XLIX. Memoratu quoque vel maximè
digna sunt, quæ de bello ob denegatas Alberto
Cæsari Decimas metallicas inter hunc & Boje-
miæ Regem exorto, *Joh. Dubravius* Histor. Bo-
hem. lib. 18. ad A. 1302. p. 174. narrat. Postquam
enim pluribus exposuit, Wenceslaum Bojemix
Poloniæque Regem, ideò, quod filio suo Wen-
ceslao juniori Hungaricam coronam acquisi-
visset, indignationem & iram Bonifacij Pontifi-
cis promeruisse, qui proinde adversus hunc
concitaverit Albertum Imperatorem, jam
tum invidia erga eum flagrantem, quod Wen-
ceslaus tot tamque florentibus Regnis brevi
partis, potentia se anteiret, de Imperatore ita
pergit: *Occasione tantum opus erat, ad dirimen-*
dam rursus amicitiam, quam facile Albertus re-
perit, qui nihil cupiebat, nisi Wenceslaum ledere.
Petit igitur ab eo NVLLO IVRE, NVLLOQUE CAE-
SARVM EXEMPLO, DECVMAS ARGENTI, quod in

Bojemia ex montibus puteisque argenteis, ac præcipue Cuthnensibus, erueretur, inquiens, EODEM IVRE ATQUE EADEM CONDITIONE OBLIGATAM ESSE IMPERIO BOIEMIAM, QVA CÆTERÆ PRINCIPVM IN GERMANIA PROVINCIAE, quæ à Cæsare Jurisdictionem suam accipiunt, ut merito Cæsar vicissim ab illis Decumas metalli exigat. Addit deinde responsum Wenceslai: Se non obstare quo minus *Albertus VECTIGALIBVS CÆSARIBVS DEBITIS, IVRE SVO VTATUR FRVATURQUE,* modo ab alienis sibi temperet, quorum in possessione perpetua semper fuerint, non solum Reges, sed etiam ante illos Principes Bojemiæ, qui sic à Cæsaribus in amicitiam & fidem recepti sint, ut præter honorem, quem majestati Cæsareæ deberent, cætera immunes & liberi essent. Hanc adeo libertatem majores suos, seque in hodiernum diem usurpasse, eandem velle inviolatam posteris quoque suis tradere &c.

L. Ita acriter Regis sui jura & libertatem defendere conatur Dubravius, quo ipso tamen fidelis magis subditi, quàm infucati Historici, sincerive arbitri partes agere videtur. Quamvis enim fortassis non sit omni ex parte verum
quod

quod credi sibi voluit Albertus Imperator, plane eodem jure atque eadem conditione obligatam esse Imperio Bohemiam, qua cetera Principum in Germania Provincia; tamen nec illud verum est, quod Wenceslaus respondit, Bohemiam honorem solum Majestati Casarea debere, cetera liberam & immunem, sunt enim hæc liquida ex iis, quæ disseruerunt Viri historię omnis & rerum Imperij peritissimi Goldastus in lib. de Regno Bohemię & Dn. Herm. Conringius in aureo de finibus Imperij libello c. 29. Neque contentus illa responsione fuit Albertus Cæsar, sed conscripto exercitu jus suum sibi vindicare conatus est, frustra tamen tum quidem.

LI. Quamvis etiam idem postulatum deinde à Bohemis per Cæsares esse, non mihi meminerim me legisse, fortassis, quod Imperium deinceps parum esset quietum, Henricus verò Luxemburgicus Imperator non argentifodinis solis, sed toti Regno Bojemię, filijs suis, extinctis Venceslais, acquirendo inhiaret, non tamen idcirco Reges Bojemię prætenfæ libertatis satisfuerunt securi; aut se in quietam metallifodinarum possessione esse crediderunt. Cur enim alias Caro-

lus IV. Imperator Aug. & idem quoque Bohemiarum Rex, dicti Venceslai Senioris ex filia Nepos, promulgatâ Aurea Bulla, dum omnibus & singulis Electoribus, in specie tamen Bohemiarum Regi, Argentariarum Regale concessisset? Privatum enim præcipuè suum, ut Bohemiarum Regis, commodum, respicere illo ipso privilegio voluit, cum ex reliquis Electoribus illos, quorum terras natura Metallis nobilitavit, jam ante A. B. simile privilegium assecutos esse constet; quemadmodum Electoris Palatino-Bavari diploma supra adduximus, de Saxoniarum verò Ducibus idem asserit *Sim. Pistor. Conf. 4. n. 7.* posito post *Consil. Modest. Pist. Vol. 2.* Quod si nullum fuisset dubium de libertate Bohemiarum, si Metallifodinarum jus jam tum ad eos pertinuisset, cur Carolus IV. novo privilegio, nullâ factâ veteris Juris mentione (cùm ipse tamen Rex Bohemiarum esset) hoc ipsis dedisset? Merentur sane hæc, quæ disputavimus, ijs addi, quæ de jure Imperij in Bohemiam Viri clarissimi tradiderunt.

LII. Hoc tamen insuper etiam, quod ad hunc locum imprimis pertinet, ex *Dubravio* discimus, non negatum fuisse aut oppugnatum
jus

jus illud, quod Cæsar prætendebat in Argentifodinas Imperij, sed eo quasi concessio negasse tantum Wenceslaum, suam ditionem eodem jure atque conditione esse obligatam Imperio, qua aliæ Principum in Germania Provinciæ. Sive igitur Bohemia obnoxia sit Imperio, ut aliæ Provinciæ, sive non, & peculiari gaudeat privilegio, Imperator tamen ad alias metallifodinas in Imperio, nullo privilegio exceptas, jus habebit.

LIII. Hæc igitur aliàs ad Imperium tum temporis indubitato pertinentia jura, & Regalia sua, Fridericus II Imp. Ottoni Brunsvicensium Duci dedit, & donationē tabulis modo productis, & tot Principum consensu roboratis, confirmavit. Dedit autem Ottoni, & in illo Ottonis omnibus ab eo descendentes, & ita hodiernis quoque Ducibus Brunsvicensibus ac Lynenburgensibus. Quamvis enim deinde divisi sint in certas lineas, ut vocamus, ab Ottone tamen, ex Henrici Leonis posteris solo superstite, derivantur omnes: unde controversia anno 1634. mota facile decidi potest, ceu in Serl. mi Br. & Lyn. Ducis AVGVSTI gloriosæ memoriæ, literis, à Scribero l. c. p. 50. productis, legere licet: in quibus

quibus quæ nervosè, sed succinctè asseruntur, ex
ijs ipsis, quæ hâc dissertatione diximus, & adhuc
dicemus, lumen accipiunt

LIV. Et id quidem etiam quod in Di-
plomate scribitur: *Decimas Goslarie* datas ef-
se, possit alicui satis videri obscurum, cum non
determinetur, quales illæ decimæ sint. Scilicet
non tantum medio ævo Historici paucis multa
narrabant, & ita narrabant, ac si posteritas æquè
omnes circumstantias novisset, ac illi, qui tum
vivebant. verùm etiam in Cæsarium præceptis,
& ad memoriam posterorum confectis tabulis
plurima omittebant, quæ ad rei notitiam perti-
nebant, & si non alia, certe vel nomina propria
illorum, vel officiorum, quorum res agebatur:
quod pluribus imò infinitis exemplis ostendi
posset. Quæ igitur dubia sunt, aliunde ex Hi-
storia & congeneribus monumentis illustrari
debent. Ad illa autem, quæ de *Decima Goslarie*
in tabulis Cæsareis habentur, rectè intelligenda,
non tam Historicorum lectio quicquam con-
ferre potest, cum in ijs altum de ea sit silentium,
quàm aliorum de ijs loquentium documento-
rum collatio, quamvis illa sint rarissima. Cum
itaque

itaque Clarissimus Dn. Præses ex instructissimo suo antiquorum monumentorum, patriam præcipue Historiam quam maximè illustrarium, penu, quasdam huc spectantes tabulas, nuspiam editas, perbenevole mecum communicaverit, hic eas producam, & mox, quæ lux inde oboriatur, ostendam.

LV. Ex Henrici Leonis filii Henricus, Palatinus Rheni, secundam conjugem habuit *Agnetem*, *Coradi* Marchionis Landsbergij, filiam, quæ Marito superstes fuit. Huic Agneti Decimæ Metallicæ Goslarienses ad dies vitæ fuerunt assignatæ: qua de causa, non necesse nunc est, ut investigetur. Erat autem Princeps illa pia admodum, ideoq; more seculi facultates suas Monasterijs fundandis impendebat. Construxerat jam tum in agro Lyneburgensi Cœnobium Virginum, *Winhusium* dictum, agitabat verò secum cogitationes de Monachorum quoq; collegio fundando, ei que locum commodum ad Isam fluvium elegerat, sub Dominio Ottonis Ducis, à quo etiam facile illum impetravit, sed redditis pro eo decimis Goslariensibus, quibus aliàs ad dies vitæ suæ frui poterat. Dedit tum ei Dux Otto magnam pecuniæ summam, & villam *Isenhagen*, & pagos prædiaque nonnulla alia, fundatumque est Monasterium, quod tamen non ita diu post conflagravit, Monachis Bac-

H

cerodam

cerodam translatis, quod Monasterium Diocesis
Hildesienfis sub nomine *Marienrode*, à Magno Epi-
scopo Hildes. ex Ducibus Saxoniae inferioris oriun-
do, ipsi imposito, hodieque superest. Vid. supra lau-
datum *Dn. Henr. Meibom.* in Chron. Riddagshuf. p.
33. Audiamus autem nunc ipsas Ottonis Ducis tabu-
las, & quidem integras, quoniam optima Principis
pietatem, & Monasterij non incelebris primam ori-
ginem simul nos docent. Nos *Otto, Dux de Brunsvic.*
tenore praesentium protestamur, quod cum dilecta no-
bis vidua (Agnes scilicet) felicis memoriae Palatini
(Henrici) patru nostri pro DECIMA IN GOSLARIA con-
cordavimus in hunc modum. Dabimus dicta Dominae
mille & centum marcas puri argenti, quarum octin-
gentis persolutis, & in festo Michaelis centum &
quindecim marcas solvere debemus: pro summa, quae
supra est, dedimus ei proprietatem nostram Isenhagen,
cum omni eius utilitate & pertinentiis, ita, ut si quis
de proprietate illa aliquid impetat, ab omni impetitore
à festo Johannis infra annum debeamus totaliter ex-
pedire. Si verò partem aliquam proprietatis ejusdem
expedire infra dictum terminum non possemus, super
eo secundum Abbatis de Riddagshusen (Arnoldi) con-
silium faciemus. Ut autem summam praedictarum
centum quindecim marcarum persolvamus festo Mi-
chaëlis

ehaëlis proximè nunc venturo, ut etiam proprietatem
Isenhagen ad datum nobis terminum ab impetitore
quolibet absolvamus, ipsi nos promissimus fide data, &
nobiscum duodeni de nostris Ministerialibus promise-
runt, sinon fuerit, quod promissimus, observatum,
Brunsvic intrent, inde non exituri, nisi in Domina & sa-
pe dicta & Abbatis de Riddagshusen fuerit volunta-
te. Nomina eorum, qui nobiscum promiserunt, hæc
sunt: Eebertus de Assborg, Anno de Heimborg, Ju-
sarius Pincerna, Anno Dapifer, Heino de W enethen,
Fridericus de Esbeke, Jusarius de Harlingsberge, Bor-
chardus de Wolfenbutle, Baldewinus de Blancken-
borg, Gevehardus & Ludolfus de Bortfelde, Bertra-
mus de Veltem. Qui autem promissum receperunt, hi
sunt: Dn. Bernardus de Dorstad, Conradus, filius suus,
Luthardus de Meinersen, nobiles, Nicolaus Aries,
Conradus de Stathen, Eilwardus de Luneborg, milites.
Cum autem dilectos soceros nostros, Illustrem Ducem
Saxonia, & Dnn. Marchiones de Brandenburg poterim-
us attingere, illis similiter promitemus. Datū Brun-
svic anno incarnationis Domini 1243. 3. Non. Junij.

LVI. Dedit verò idem Otto alias literas eodem
die super hac re, quas, uti confirmatas insuper post
Ottonis Ducis obitum à vidua ejus relicta Mechtil-
de Alberti II. Brandenburgici filia, & filio ejus Alber-

hic quoque producemus: Dei gratia Nos Mecht-
bilis in Luneborg relicta Ottonis Ducis de Brunsvic,
Et eadem gratia Albertus filius ejusdem Ducis, Dux
in Brunsvic universis Christi fidelibus presentem pa-
ginam inspecturis, cupimus notum esse, Dominum Et
maritum Et Patrem nostrum bone memorie Otto-
nem Ducem de Brunsvic dedisse proprietatem suam
in Isenhagen ad extruendam domum Monachorum,
Cisterciensis Ordinis, Et dedisse super ea privilegiū,
sub hac forma. In nomine S Et individue Trinitatis,
Dei gratia Otto Dux de Brunsvic omnibus in perpe-
tuum. Quia vergentis in senium Seculi corrupte-
lam non solum sapiunt elementa, sed creaturarum di-
gnissima ad imaginē condita Creatoris, ut si fuerit in-
potentatibus octoginta amplius sit labor Et dolor, ad
falsam impiorum assertionem tollendam acta digna
memorie scriptis publicis Et authenticis roborantur.
Ea propter notū esse volumus, tam presentibus quā
futuris, quod cū sancta devotionis Domina Agnes,
vidua quondam Palatini bone memorie, Henrici,
Patris nostri, nobis a PHEODO NOSTRO DECIMAM MON-
TANAM IN GOSLARIA sibi AD TEMPORA VITÆ SUÆ DE-
PUTATAM, de libera voluntate pro quadam summa pe-
cunie cederet, eidem vidua dedimus proprietatem no-
stram in Isenhagen ad extruendam domum Mona-
chorum

chorum Cisterciensis Ordinis, per manum Abbatis de
Riddagshusen, (Arnoldi) & fratrum ejusdem loci, &
in ea justam & perpetuam warandiam prestabimus,
tam in decimis, cum voluntate Episcoporum & Ec-
clesiarum, ad quas pertinent, quam villis & curiis,
quarum nomina sunt hæc. Windersbutle, Glusinge,
Danhorst, Rikenbagen, Wenedorpe, Oyessem, Isen-
beke, cum molendinis, molendinum prope Danhorst
cum omnibus attinentiis suis, utilitate, si qua nunc
est, vel in futurum haberi poterit, & diterminatio-
nibus hæcenus habitis, tam in pascuis quam pratis, pa-
ludibus, nemoribus sylvis & aquis, libera ab omni
servitio, iudicio, angariis & parangariis, prout
suas possessiones consuerunt liberas possidere, secun-
dum privilegia Romanorum Pontificum Ordini in-
dulta, cum plantare & plantatam fovere sacram
religionem modis omnibus debeamus. Ut autem dicta
donatio de voluntate & assensu heredum n. strorum
facta stabilis in perpetuum permaneat, presentem pa-
ginam sigilli nostri appensione & testium inscriptione
roboravimus. Testes sunt Luthardus de Meinersen,
Berwardus & Conradus de Dorstad, Anno de Heim-
borg, Balduinus de Blanckenborg, Fridericus de Es-
beke, Ecbertus & Borchardus de Wolfenbutle, Anno
Dapifer, Heino de W. enethen, Ludolfus & Geve-
hardus

*hardus de Bortfelde. Acta sunt hæc anno gratiæ 1243.
Indict. 3. Non. Junij. Data per manum Henrici Nota-
rii nostri, Canonici S. Blasii in Brunsvic.*

LVII. Ottoni illi, primo Brunsv. & Lynæb. Duci
filii fuerunt *Iohannes*, qui Lunenburgensem conditionem,
Albertus, qui Brunsvicensem, & cum ea Goslarien-
ses decimas accepit, & *Conradus*, qui primū Præposi-
tus Bremensis, dein Episcopus Verdensis factus est,
cujus *Ecclesiæ*, titulo insolito, *Pastorem & Tutorem*
se scribere solitus est. Hi duo priores fratri suo *Conra-
do*, ab Ecclesiasticis redditibus nondum satis proviso,
quosdam proventus assignarunt, & *Iohannes* qui-
dem telonium, *Albertus* verò Decimas. Sed præstat
hic quoq; ipsa tabularum, hodieque superstitum,
A. 1269. in Munden datarum, verba audire: *Nos Dei
gratia Iohannes Dux de Brunsvick, notum facimus
universis, quod illustris frater noster Albertus Dux
de Brunsvick & nos, assignavimus dilecto fratri no-
stro Domino Conrado Bremensis Ecclesiæ Præposito,
quingentarum Marcarum redditus Bremensis argen-
ti, annuatim recipiendas, sine dolo, DUCENTAS IN DE-
CIMA GOSLARIÆ, VIDELICET MONTIS RAMMESBERG
ducentas in telonio Tzellis & Luneborgk, SI IN DECI-
MA DICTA NON HABERET TANTUM, de Molendi-
nis &c. Quando frater noster consecutus sexcenta-
rum*

rum marcarum redditus fuerit in Ecclesiasticis beneficiis, tunc telonia dicta ad nos revertentur, & nostros heredes. DECIMA RAMMELSBURG, molendina Brunsvic, & bona Advocati Assenborgk, omnia ad fratrem nostrum dilectum, Ducem Albertum & suos posteros redibunt. Redierunt verò deinde etiam ad Albertum hunc, qui divisione inter filios facta, cuiq; partem tertiam decimæ illius assignavit, ceu pluribus narratur in Chron. Brunsv. Bunting. p. 228.

LVIII. Hæ autem modò productæ tabulæ, cum alia non pauca circa Decimas Goslarienses nos docent, tum etiam ipsum Cæsareæ investituræ diploma illustrent. Quæ enim ibi sine ullo additamento *Decima Goslarie* nuncupantur, illæ in altero Ottonis, *Decima Montanæ in Goslaria*, in tabulis transactionis filiorum Ottonis, *Decima Goslarie videlicet Montis Rammelsberg*, & deinde *Decima Rammelsberg* vocatur, ut facile intelligatur, quænam fuerit illa decima. Ad *Pheodum* suum, seu feudum, pertinere illas decimas, etiam disertè testatur Otto Dux.

LIX. Videre etiam quodammodo ex illis tabulis est, quanti tum temporis redditus fuerint metallifodinarum, cum Otto Dux suo tempore mille & centum marcis puri argenti redemerit Decimam, anno verò 1269 dubitatum fuerit, an ducentarum marcarum annuos redditus æquare possit. LX. Et

LX. Et ita quidem satis ostendi, quando ad Serf. Duces nostros Metallifodinæ illæ pervenerint, ut facile falsitatis inde convincantur, quæ in Gravaminibus contra Serenif. quondam Henricum Iuniorum Brunsv. & Lyn. Ducem A 1527. conscriptis, extantibus apud *Frid. Hordlederum* lib. 4. c. 1. *der Reichshandlungen* habentur, scilicet, daß von solcher Hoheit die vorhin Käyserl. Majestät/ und dem H. Reich zugestanden/ die Fürsten von Braunschweig sich über anderthalb hundert Jahr lang etwas angemasset/ nemlich des Behendten und Gerichts etc. Tum temporis enim tria penè secula ab Investitura Friderici II. effluxerant, & concessis sibi Iuribus usi fuerant Sereniss. Ottonis Successores, nullo contradicente.

LVI. Non diu post illam investituram contigisse notabilem illam fodinarum ruinam, cujus hodieque rimæ conspicuæ, scribit diligentissimus *Cass. Corberus* in *Historia Goslariensi*, sub finem: *Kurz nach dieser Schenkung*/ inquit, *Friderici sc. Secundi*. Dubito tamen, an ita brevi post contigerit, cum ex tabulis divisionis supra productis appareat, anno 1269. decimam illam satis adhuc æstimatam fuisse, & *Screiberus* p. 33. ad annum 153. referat, qui est centesimus decimus octavus à Cæsarea donatione.

LXII. Et hæc quidem hâc vice de illis Metallifodinis Harzicis Inferioribus dicta sufficiant: reliqua enim, quæ ad posteriorum temporum Historiam pertinent, inquirere & addere nunc non libet, cum voto tamen finio, & Deum precor, ut subterraneos hos thesauros augere & ditare clementer velit, ut quotidie in hac nostra quoque patria *eatur in viscera terræ*, &

Effodiantur opes, certa incrementa bonorum.

F I N I S

V 17

Q.N. 898, 87.

DISSE
META
H
PRIMA

AD SEREN
DVCE

DN. HE
Medic. Doct.
Publ. Ord
atr
Domino

HENRIC

Typis HEN

Xa
1228

CA
RVM
RESSV

LYNÆB,
NT.

02792

DMIO
cosq; Prof.
Archi-
o
colendo

Knorn

Acad. Typ.

ATS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

